

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Tamburini laxitates reprobantur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](#)

stiana distincte pronunciat, Deus si non unus est, non est; quia dignus credimus non esse quodcumque non ita fuerit ut esse debet. Ergo si Deorum pluralitas, stando puris principiis naturalibus, propagnari possit, etiam, stando in iisdem principiis, Deorum nullitas defendi poterit; quod est causam Atheorum manifeste juvare.

§. II.

Tamburini laxitates reprobantur.

I.

91 Licitum est inducere testem ad jurandum falso, quod jurans quidem putat esse verum, ipse vero inducens se esse falso. Tamburini lib. 3. in Decalogum cap. 1. §. 6. num. 7. pro hac sententia referens Hurtadum, Dianam, & Tamburinum.

Hæc assertio non solum omnino improbabilis, sed etiam erronea, & prorsus intolerabilis est, potestque breviter confutari. Primo quia amor Dei, & zelus honoris eius, obligat me ut quantum commode possum, vitem etiam peccata materialia, tam in me quam in aliis: Jurare autem id quod re ipsa est falso, & purtatur esse verum, est peccatum taliter materialiter, cum tale juramentum veritati & aeternæ legi dissimum sit: Ergo quantum commode possum, tenor juramentum illud impeditre; tantum abest quod possim ad illud proximum inducere.

92 Secundò impugnatur: Fraternæ charitatis dilectione proximum instruere tenor, quando ille laborat ignorantiā alicujus rei, juri divino & naturali contraria, & probabiliter speratur, quod ablata ignorantiā non operabitur quæ cum ignorantia facit, vel facere vult: Ignorat Petrus v. g. Mariam non esse suam uxorem, & vult ad illam accedere, tenor illum admonere non esse ejus uxorem; Ignorat alius aliquam hostiam, non esse consecratam, & illam vult adorare; tenor ei significare talen hostiam consecratam non esse. Mira ergo est Tamburini exorbitantia, dum scribere audet, licitum esse, non modo proximum ignorantem non instruere; sed insuper ipsum in materialem Decalogi transgressionem impellere.

93 Nec valet quod ille ait: turare falso, quod sine culpa putatur esse verum, & ita est religionū; unde qui ad hoc inducit, ad actum virtutis inducit. Non valet, inquam, quia pariter actus religionis est, quando adoratur hostia, quæ invincibiliter putatur consecrata, cum re ipsa non sit consecrata; & tamen quis audeat dicere, licitum esse scienti eam non esse consecratam, inducere ignaros ad eam adorandam tanquam consecratam: Nonne etiam uxorem reddere debitum conjugale marito est actus justitiae? & tamen quis dicit, scienti maritum vivere, licitum esse, non solum eam non admonere, sed etiam ad reddendum superinducto viro conjugale debitum inducere? Nonne pariter servum laborare in die festo, quem bona fide existimat non esse festum, actus est obedientiae, vel justitiae? quis tamen propterea afferat mihi licere, inducere servum ad laborandum in die, quem ille netice esse festum, ego vero festivum esse scio? Quam levis ergo & frivola est illa Tamburini ratiunctula, quæ se permotum dicit ad asserendum licitum esse, inducere testem ad jurandum falso, quod ju-

rans quidem putat esse verum, ipse vero inducens se esse falso.

11.

Licitum est reo cum equivocatione negare veritatem iudicii legitimi, legitime interroganti. Tamburini lib. 3. cap. 4. §. 3. num. 5. pro hac sententia citans Delugo, Sanchez, & alios.

Oppositum docet S. Thomas 2. 2. qu. 69. art. 1. in corp. ubi sic ait: Pertinet ad debitum iustitiae, quod aliquis obediatur suo superiori in iis, ad quae ius prælatum se extendit. Index autem superior est, resipicere ejus qui judicatur; & ideo ex debito tenetur accusatus iudicis veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit; & ideo si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, MORALITER PECCAT. Quo nihil clarius & expressius contra Tamburini assertione dicopost.

Addo quod, si vera esset Tamburini sententia, nunquam liceret Judicii, reos ad confessioinem criminis capitalis, quantumvis semiplenè probati, torturis adagere; quia iniquum est quemquam ad id cogere, quod præstat non tenetur. Oppositum autem docent SS. Patres, præfertim Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 6. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. & Eusebius Papa Epist. 1. ad Gallie Epilicos, cuius est illa sanctio corpori Juris inserta, cap. illi qui §. qu. 5. subidicuntur: Veritatem diversis cruciatiu[m] latebris suis religiosus tortor exigere debet: ut dum perib[us] corporum subiciuntur, que gesta sunt, fiducia & veraciter exquirantur. Unde Leonardus Coquetus in Commentariis super cap. 6. lib. 19. Augustini de Civit. Dei, & Covarruvias lib. pratic. qu. cap. 2. num. 5. reprehendit errorem Joannis Ludovici Vives, astutus oppositum saltem quoad Christianos.

Ex discursu & ratione D. Thomæ patet, non solum falso, sed etiam intolerabile esse dogma Joannis Sancti in practicis disputationibus dif. 9. num. 7. & sequentibus, ubi teste Diana tractat. R. col. 55.) afferit quod sapienter probabiliter credat Confessarium non impensum illi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, potest aquivocatione utendo negare consuetudinem; ut si sensu, consuetudine sareo peccandi, non absolute, sed ad continentium tibi de presenti. Et hoc etiam procedit, si creditur absolutionem se natum, cum ad confitenda etiam peccata bis non sit obligatus, nec ad patiendum pudorem ex consuetudine jam nota oriundum. Item dicendum de occasione proxima, inevitabilitate tamen sine magno incommodo & scandalo. Nam in tali causa potest etiam paenitentis utriusque aquivocatione, licet à confessario de tali occasione interrogetur.

Pater, inquam, doctrinam hanc perversam, & prorsus intolerabilem esse. Primo quia permittit uti aquivocatione aut restrictione mentali, quod plures graves Theologi & Doctores nunquam licerit existimant, videturque innuere D. Thomas 2. qu. 109. art. 3. ad 1. ubi sic discutit: Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non posset: non autem possunt homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem credant, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Quod discutit utitur etiam D. Augustinus in Eccl. cap. 22. ubi sic ait: Utique verba propter sunt insinuata, non per quæ se invicem homines fallant;

fallant, sed per quae in alterius quaque notitiam cogitationis suas proferat. Verbi igitur uti ad fallaciam, non ad quod institutum sicut peccatum est. Unde Cameruel licet in laxas opiniones valde propensus, in eam tamen quae & equivocationes & restrictiones mentales permittit, invehitur in Theologia fundam. num. 1282. ubi haec scribit: *Est mihi innotata aversio contra restrictiones mentales; tollunt enim humanam societatem: tanquam pestiferae damnanda sunt, quoniam semel admissae aperiunt omni perjurio viam; & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & maiestatem non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur reprobationem alii nominari: quod est virus condire sarcero, & scelus specie virtutis calvare. Cui consonat illud Innocentij 111. in Epist. ad Archiepiscopum Cantuariensem: Nomina tantum non res mutantur, quasi mutato nomine, culpa transferatur & pao: & illud Tertulliani de carne Christi cap. 13. Omnia periclit abuntur aliter accipi quam sunt, & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si alter quam sunt cognominantur: fides nominum, fatus est propriatum.*

Deinde. Esto & equivocationes & restrictiones mentales interdum, suppositis quibundam conditionibus licet sint, de quo suo loco dicemus; eastamen extenderem ad tribunalia justitiae, vel penitentiae, prorsus intolerabile est: nam ut ait D. Thomas supra relatus, *Ex debitor tenetur accusatus judicii veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit: & id est si confiteri nouerit veritatem quam dicere tenetur, mortaliter peccat.* Idem a fortiori dicendum de penitente, legitimè à Confessore interrogato: *cum enim in foro illo interno Confessorius habeat rationem judicis, tenetur penitentis interrogatus de his quae ad forum illud spectant, qualia sunt confitendo peccandi, vel occasio proxima, sincere respondere; nec potest sine gravi culpa & equivocationibus, aut restrictionibus mentalibus ei veritatem occultare: maximè cum Confessorius non solum habeat rationem judicis, sed etiam Medici spiritualis, nec possit penitenti congrua remedia ad evitanda peccata adhibere, nisi statim conscientiam ejus subindeque pravos ejus habitus & confuetudines, ac peccandi occasions cognoverit.*

Ex his etiam patet, falsissimum esse quod aliqui docent, nempe non solum licere reo cum & equivocatione negare veritatem Judicii legitimo, legitime interroganti, sed etiam jurare se rem nefare, intelligendo ita ut teneatur illi dicere, vel quid simile: hoc enim non est aliud quam mendacio palliato addere perjurium: quod Augustinus lib. contra mendacium cap. 18. detinet & vehementer deplorat, his verbis: *O abi estis fontes lachrymarum! Et quid facimus, quod ibimus, ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non soli in negligimus caverre mendacia, sed audemus insuper docere perjuria.*

III.

¹⁰⁰ Ad tormenta, damageque gravia vitanda, potest quilibet sibi seipsum crimen imponere, etiam si mors sit libertaria. Tamburinus lib. 6. cap. 2. §. 2. num. 14. idem docet lib. 9. cap. 3. §. 6.

Hoc assertio manifestum errorem continet, & humana menti incurit horrorem. Primum patet ex eo quod ea quae sunt intrinsecè seu ex genere suo mala, nunquam possunt esse bona &

Tem. III.

A licita, nec ex intentione alicujus boni finis honestari; ut constat de mendacio, quod in nullo casu potest esse bonum & licitum, quia est intrinsecè & ex genere suo malum, ut probat S. Thomas 2.2. qu. 110. art. 3. & pater ex decreto 22. qu. 2. ubi Gratianus docet mendacium nunquam esse licitum, idque pluribus Sanctorum Patrum testimonio probat. Unde Alexander 111. in cap. super eo de usuris, respondens Panormitanò Episcopo, sic ait: *Scriptura sacra prohibet pro alienis vita mentiri.* Sed falsum testimonium est intrinsecè malum, ut docet D. Thomas 2.2. qu. 78. art. 4. his verbis: *Falsum testimonium habet triplicem deformitatem: uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati: alio modo ex violatione iustitia: & tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum: Ergo nunquam licet falsum testimonium dicere, nec per consequens ad tormenta, vel gravia damnatione, potest aliquis sibi falsum crimen imponere.*

Confirmatur: Si enim Scriptura prohibeat mentiri ad salvandam vitam proximi, ut ait Alexander 111. iam relatus, à fortiori prohibet mentiri & falsum proferre testimonium, ad procurandam mortem sibi, ut per illam tormenta, vel gravia damnatione, vitentur.

Quod etiam hæc Tamburini assertio horrorem humanam menti incuriat, manifestum est; quia ex ea evidenter sequitur, licere seipsum absque speciali Dei iustu occidere: sicut enim qui falso testimonio alium perimit, seu perimit facit, homicida est; ita qui seipsum falso testimonio interimit, suicida est; nam quid refert quod seipsum ferro, vellingu perimat, dummodo seipsum perimat? Unde Augustinus exponens illud Psalmi 63. Exacerunt ut gladium linguas suas, dicit Iudeos, qui adversus Christum falsum dixerunt testimonium, ipsum occidisse gladio lingue. Et subdit: *Nisi enim lingua gladius esset, non alibi diceret idem Psaltes: Filii hominum, dentes eorum arma & sagitta, ET LINGUA EORUM GLADIUS ACUTUS. Suicidium autem gravissimum esse peccatum, & gravius homicidio, fratricidio, & patricidio, idem S. Doctor lib. de patientia cap. 13. his verbis declarat: Si parricida est sceleratus est quamlibet homicida, quia non tantum hominem, verum etiam propinquum necat, & in ipsis parricidiis quanto propinquorem quisque peremerit, tanto judicatur manior, sine dubio peior est qui seipsum occidit, quia nemo est homini seipso propinquior.*

IV.

Licitum est cupere absoluto desiderio mortem patris, ¹⁰² non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia animorum ei obvenientia est pinguis hereditas.

Hanc assertiōnē Tamburinus lib. 5. cap. 1. §. 3. num. 29. & 33. dicit esse probabilem, subinde que in praxi tutam, & citat pro ea Caffro Palam. Illa tamen non solum improbabilis, sed etiam intolerabilis est, & vix sine animi horrore & aurium tinnitu audiri potest. Si enim licet filio cupere absoluto desiderio mortem patris, intentione successionis hereditaria, pari jure licebit viro cælibi desiderare absoluto desiderio mortem mariti, intentione concubendi cum ejus vidua in uxorem ducenda. Pari item jure licebit viro uxorato desiderare insuper absoluto desiderio morte uxoris sua, ut ita mediatisbus

*N*n

dux

duabus mortibus; sua nimurum uxoris, & alie-
ni mariti, pertingat ad nuptiales amplexus ejus
quam deperit. Porro si hoc nullus dicere au-
deat, eo quod desiderium istud ex affectu mœ-
stis & voluptatis amoris procedat; nec illud
poterit asserere, cum pariter aliud desiderium
ex avaritia pullulet, & sit velut ramusculus il-
lius cupiditatis, quam Apostolus radicem om-
nium malorum appellat.

V.

103 *Milites navales licet possunt ignem injicere, pul-
verem sulphureum, ne navis in hostium potestatem in-
tegraverint, vel ne hostes sicut animosores ex parte
victoriae.*

Hanc assertionem docet Tamburinus libro
6. cap. 2. §. 2. num. 9. ductus potissimum authori-
tate Lessii, idem docentis. Eam tamen cateri
Theologireprobant cum Angelico Doctore 2.
2. qu. 64. art. 5. ad 3. ubi hæc scribit: *Transitus de
bac vita ad aliam feliciorum, non subiaceat libero ar-
bitrio hominis, sed potestati divine: & ideo non licet
homini seipsum interficere, ut ad feliciorum transeat
vitam; similiter etiam nec ut quaslibet miseras pre-
sentes vite evadat: quia ultimum malorum huius vi-
tae & maximè terrible est mors, ut patet per Philo-
sophum 3. Ethic. & ideo inferre sibi mortem ad alias
huius vite miseras evadendas, est majus malum assu-
mere ad minoris mali vitationem. Similiter etiam
non licet seipsum interficere propter aliquod pecca-
tum commissum: tum quia in hoc libi maximè nocet,
quod sibi admittit necessarium penitentia tempus; tum
etiam quia in malis factorum occidere non licet, nisi per
factum publica potestatis. Similiter etiam non licet
sibi seipsum occidere, ne ab alio corruptatur: quia
non debet in se committere crimen maximum, quod
est sui ipsius, ut vitæ minus crimen alienum. Non enim
est crimen miserii per violentiam violæ, si con-
fusus non adit, quia non inquinat corpus, nisi de con-
fusione mentis. Tertio dicit: *confit autem minus esse
peccatum formicationem, vel adulterium, quam homi-
cidium.* Et præcipue sui ipsius, quod est gravissimum,
quia sibi ipso niger, cui maximam dilectionem debet:
est etiam periculum ipsum; quia non refat tempus ut
per penitentiam expietur. Similiter etiam nulli licet
seipsum occidere ob timorem, ne conficiat in pecca-
tum: quia non sunt facienda mala, ut veniant bona,
vel ut vitentur mala, praesertim minora & minus cer-
ta: incertum autem est an aliquis in futurum conser-
vat in peccatum, potens est enim Deus hominem qua-
cumque tentatione superveniente liberare à peccato.
Et in resp. ad 4. ait ex Augustino lib. 1. de civitate
cap. 21. Samson alter non excusat quod seipsum
cum hostibus ruinâ domus oppresit, nisi quod latenter
spiritu sancto hoc iusserrat, qui per illum miracula
faciebat. Si autem Samson non alia ratione ex-
cusari potest, quâm recurso ad instinctum Spiritus
sancti, intus moventis arque jubentis; nec mil-
ites navales, ignem in pulvrem sulphureum
injicientes, & seipso perirentes, ne in hostium
deveniant potestatem, ulla tenus excusari poter-
ruunt, nisi eodem spiritu sancto instigante, pulve-
rem accenderint, & seipso de vita extruderint.*

Confirmatur ex SS. Patribus: Augustinus enim
lib. 1. de civitate cap. 20. ait: *Si quis canonice que-
libet causa quam nota diuinitus precepit permis-
sive reperi potest, & vel ipsius ad ipsendere immorta-
litatis, vel alius oarenti cavendique mali causâ, no-
bis meti ipsi necem inferamus.* Et cap. sequenti ge-
neralem istam tradit regulam: *Hab exceptis, quos*

A vel ex iusta generaliter, vel ipse Iohannes iustitia Deum
specialiter occidere juber, quisque hominem, vel
seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij criminis
inneditur. Et cap. 20. hoc dicitur (inquit) hoc af-
serimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem
sibi spontaneam mortem in seruere debere, velut fugi-
do molestias corporales, ne incedat in perpetuas. Item
Lactantius lib. 8. cap. 18. *Sicut in hac vitam* (inquit) *non nostra sponte venimus, ita rursum ex hoc
domicilio corporis, quod tuendum nobis agnatum est,*
ejusdem iusfu receundum est, qui nos in hoc corpus in-
duxit, tandem habituros, donec iubet emitiri. De-
nique Isidorus Pelusiotes Epist. 287 sic discur-
rit: *Si de duobus, mari scilicet & feminâ, dictum
est illud, que Deus conjunctis homo non separat; qui
animam per vim à corpore avellit, & vel laqueo se
strangulat, vel cede violentia se necat, quam quo se
niam merebitur?*

B Idem docent non solum omnes Theologi & 124
Philosophi Christiani, sed etiam Ethici: Ari-
stoteles enim lib. 2. Ethic. cap. 7. sic ait: *Mortem
sibi consciere ob fugiendam paupertatem, aut ama-
rum vel molestum aliquid, non fortis est homo, sed
potius timidi, est enim molitus laboris fugere; nec
quia res est honesta, appetit mortem, sed quia malum
fugit. Bellè etiam ait Seneca Epist. 24. *Vix fortis
ac sapiens non fugere debet è vita, sed exire.* Et Epist.
70. *Stultitia est (inquit) timore mortu mori: venit
qui occidat: expecta, quid occupi? Quare suscipia
aliena crudelitatis procurationem?* Vtrum inviles
carnificis tuo, an parcis? Huic concinuit Martialis,
in quendam Phaunium, qui ut mortem quam
ipsi hostis intentabat, fugeret, seipsum peremuit,
sic ludens:*

Hostem cum fuderet, se Phaunius ipse peremuit.

Dic rogo, num furor est, ne moriare mori?
Idem dicere licet de militibus illis, qui ne in po-
testatem hostium deviantur, & mortem acer-
bam apud eos patiuntur, ignem in pulvrem
sulphureum injicendo, seipso perirent; nem-
pe ipsos mori timore mortu, seu mori ne morian-
tur nam sibi manus inferre, formidinis potius est quam
fortitudinis, & pusillanimitatis quam magnanimit-
C Datis, inquit Augustinus lib. 1. de civit. cap. 22.
Concludamus ergo cum Lactantio, & dicamus:
Excrucibitis & prossu fugienda est illa doctrina, quae
homines abigit à vita.

VI.

*Iustus damnatus ut fame pereat, potest oblatum
panem respuere.* Tamburinus lib. 6. cap. 2. §. 2.
num. 6.

Oppositum docet D. Thomas 2. 2. qu. 69. art.
4. ad 2. ubi sic ait: *Nullus ita condemnatur quod
ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mori pati-
tur. Et ideo non tenetur facere id unde mori sequar-
tur . . . tenetur ratione non resistere agenti, qui
patiatur quod iustum est eum pari.* Sic etiam si
aliquis sit condemnatus ut famem moriat, non peccat
si cibum sibi occulte ministratum sumat: *QUIA
NON SUMERE, ESSET SEIPSUM
OCCIDERE.* Quæ ultima verba probant,
taliter condemnatum non modo posse, sed &
teneri cibum sibi oblatum sumere: quia (ut
supra ostensum est) circa specialem Dei impul-
sum, nulli fas est seipsum occidere; unde cum
juxta D. Thomam, non sumere, sit seipsum occi-
dere, planum est, talem teneri cibum oblatum fu-
mere, eodem præcepto naturali quo teneri le-
ipsum non occidere.

Confir-

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Homo tenetur præcepto naturali conservare suam vitam, quies licet potest: Sed in prædicto casu licet potest: Ergo tenetur. Minor probatur: Si quid enim obstat, maximè sententia judicis, quæ damnatus est ut fame pereat: Sed hæc non obstat, quia illa non præcipit ut ille non comedat, (alias iniqua esset talis sententia, cum nullus ita condemnetur, quod sibi ipsi mortem inferat, sed quod ipse mortem patiatur, ut ait D. Thomas) sed tantum jubet, ut nemo ei cibos ministreret: Ergo in tali casu licet potest conservare vitam.

VII.

Præceptum charitatis indirecte solum & ratione alterius obligat, quando scilicet impius, quia sacramentum penitentiae non est in promptu, non habet aham vitam quæ se iustificet, nisi eliciat actum contritionis, que actum amoris Dei involvit. Tamburinus lib. 2. cap. 3. §. 2. num. 2. pro eadem sententia referens Azorium. Sed certè in hoc stupenda planè perversio est, ut quod Christus dixit in verbis primum omnium mandatorum pronunciavit, Doctor Christianus afferere audeat, indirecte solum, & ratione alterius obligare! Si enim indirecte solum & ratione alterius obligat, quis non videat prius ac principalius esse alterum præceptum directe & per se obligans? Et rursus, cum illud censeatur magis tale, propter quod alterum est tale, nonne planum est ea præcepta, propter quæ mandatum dilectionis indirecte duxit taxat obligat, magis obligare quam ipsum, quod non nisi propter ea obligari; subindeque falso dixisse Christum, præceptum dilectionis primum esse & maximum omnium mandatorum?

Confirmatur ex D. Thoma 2.2. qu. 44. art. 1. ubi sic discurrit: *Præceptum importat rationem debiti. Intantum ergo aliquid cadit sub præcepto, in quantum habet rationem debiti. Est autem aliquid debitum dupliciter, uno modo per se, alio modo per aliud. Per se quidem debitum est in unoquoque negotio id quod est finis; quia habet rationem per se boni: propter aliud autem est debitum id quod ordinatur ad finem; sicut medicus per se debitur est ut sanet; propter aliud autem, ut medicinam det ad sanandum. Finis autem spiritualis vita est ut homo unitatur Deo, quod sit per caritatem; & ad hoc ordinantur sicut ad finem, omnia que pertinent ad spiritualem vitam: unde & Apostolus dicit 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde pura, & conscientia bona, & fide non ficta.... Inquit autem genere id quod est per se, potius est quod est propter aliud: & ideo maximum præceptum est de charitate, ut dicitur Matth. 22. Ergo iuxta D. Thomam, tantum abest quod præceptum charitatis indirecte solum & ratione alterius obligat, ut ait Tamburinus, quin potius illud tantum obligat per se, & tanquam finis omnium aliorum; alia vero solum per accidentem, sive propter aliud, inquantum scilicet ad præceptum charitatis, sicut media ad finem ordinantur. Unde ibidem subdit sanctus Doctor, post verba ex apostolo relata: *Omnes virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purissimum cor & turbationibus passionum, sicut virtutes que sunt circa passiones: vel saltem ad habendum bonam conscientiam; sicut virtutes que sunt circa operationes: vel ad habendum rectam fidem, sicut illa quæ pertinet ad divinum cultum.* Et hac tria requiruntur ad diligendum Deum: nam cor impurum a Dei dis-*

Tom. III.

A lectione absrahitur propter passionem inclinantem ad terrena: conscientia verò mala facit horrere divinam iustitiam propter timorem peccati: fides autem facta, trahit affectum in id quod deo singitur, separans à Dei veritate.

Confirmatur amplius: Ex assertione illa Tamburini manifeste sequitur, quod homo non tenetur unquam per toram vitam suam elicere actum amoris Dei; cum fieri possit ut nunquam desit impio via se justificandi per sacramentum penitentiarum. Unde hæc assertio coincidit cum ista, quam Academia Lovaniensis ad requisitionem Episcopi Gandavensis prescripsit: *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.*

VIII.

Certum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levia, sive gravis, non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa. Tamburinus lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1.

De prima parte hujus assertio nulla est difficultas; cum certum sit nullo omnino juramento ut licitum esse sine causa. Unde Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 18. sic ait: *Qui intelligit non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrinet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitate.* Item Divus Thomas 2.2. qu. 89. art. 2. in corp. *Iuramentum* (inquit) non est bonus, nisi ei qui bene uitetur iuramento: ad bonum autem usum iuramenti duo requiruntur, primò quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discrete iuret. Cui consonat illud Hieronymi in cap. 4. Hieremiz: *Iusjurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam: si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed perjurium.*

Secunda verò pars, quæ Tamburinus afferit, licitum esse cum causa iurare sine animo jurandi, non solum certanum est, ut ipse ait; sed nec etiam probabilis: *Quia jurare sine animo jurandi, est intrinsecus & de se malum: Sed ea quæ sunt de se & ab intrinseco mala, nullæ causâ, aut bona intentione, honestari possunt & fieri licita;* cum non sint facienda mala, sive ut eveniant bona, sive ut vitentur mala, sicut in tract. de moralitate animalium humanorum, disp. 6. art. 1. §. 2. ostensum est: Ergo non nullam causam licitum est jurare sine animo jurandi. Major est certa, Minor verò multipliciter suadetur. Primò quia jurare exteriū sicut, sine animo jurandi, mendacium est, ut de se patet: Sed mendacium est de se & ab intrinseco malum, ut docet S. Thomas 2.2. qu. 110. art. 3. & patet ex cap. super eo de asturis, ubi Alexander I I I. respondens Panormitanus Episcopo ait: *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita meniri.* Idem docet Eusebius lib. 6. præpar. evang. cap. 4. his verbis: *Mortalem hominem, cui aliqua cura virtutis est, nulla ratione cogi posse ut mentiatur, non dubitamus. Nam si etiam verbera & cedem minaberis, non dubitabit exclamare: Ensem acue, ignem adferas, corpus meum incidas, totum cremato: stelle in terram prius descendat, & terra in celum ascender, quam falsum à me quidquam audias;* Ergo iurare exteriū sicut & abique animo jurandi, de se & ab intrinseco malum est.

Secundum probatur eadem Minor: Assumere nomen Dei in vanum, est ex se & ab intrinseco malum: Sed qui iurat exentiū, sine animo iurandi, nomen Dei assumit in vanum, cum non assumeret illud ad confirmandam veritatem, sed ad decipiendum, & nihil magis sit vanum, quam fallacia & deceiptio: Ergo &c.

N n 2

Ter-

Alia probabilitatum monstra confundantur.

I.

Tertio, Exterius dicere verba blasphemiae in A
Deum, etiam si dicantur sine intentione blasphemandi, sed ex metu, vel vana ostentatione, est intrinsecè malum, & peccatum mortale, quia de se tendit in gravem injuriam & in honorationem Dei: Ergo similiter adducere Deum exterius ad testificandum falsum, est de se & ab intrinseco malum, & peccatum mortale, quia pariter de se est gravis irreverentia Dei.

Quarto: Quemadmodum exterior cultus idolorum sine animo colendi (quod Marcellinus fertur eis) peccatum est mortale, quia applicatur cultus cui non debetur: ita & illud testimonium, Deus est noster est, quod est actus religionis, applicare mendacio, est irreverentia mortalis, ut discurrat Cajetanus apud Sotum lib. de Justitia quæst. 1. art. 7.

Denique ut ait Suarez lib. 3. de juramento cap. 19. num. 2. *Tali modus jurandi est valde contrarius principali simi jureamenti, qui est firmare humana fæderia & verbæ; nam ex defectu hujus interne intentionis jurandi, multum videatur enervari efficacia jureamenti: unde nisi teneantur homines gravi obligatione ad habendam talen intentionem cum jurant, pro�us evitetur jureamenti fructus & securitas. Ergo hec gravis obligatio, nata ex intrinseca ratione jureamenti, & reverentia Deo debita; & ideo ejus transgressio est ex suo genere grave peccatum.*

IX.

112. In die festo per duas horas vacare servilibus, non est peccatum mortale, quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatiū, comparatione viginti quatuor horarum. Vnde si heros quispiam habens duodecim servos, injungat eis laborem integri diei, assignando si gulis duas horas successivè ac divisivè, non peccat mortaliter.

Pro hac etiam assertione refert Sinnichius §. 400. Tamburinum, illamque quoad secundam partem, de qua præcipue est difficultas, egregie hoc discursu confutat. Cum juxta veridicam Augustini doctrinam Saulus Stephanum eorum manibus lapidasse censeatur, quorum vestimenta servabat, ut expeditius lapidarent; quis non videat potiori jure herum illum toro die festo serviliter laborare, cuius iussu tot famuli, divisis inter se horis, toro die serviliter laborant? Neque enim minus, sed longe profectò magis cooperatur operantibus, qui herili autoritate laborem indicit, quam qui laborantium vestimenta custodit, vel alia expedite laborandi impedimenta duntaxat semovet: enim inter cooperandi modos primus omnium recensetur iusso.

113. Confirmatur: Si quis mandaret diversis famulis modicum quid furari è singulis templis unius provincie vel regni, proculdubio peccaret mortaliter, non solum in genere furti, sed & sacrilegi, si illa minuta singulorum furtar notabilem quantitatatem sacrilegè per partes surreptam conflare: Cur ergo non peccet mortaliter, qui similiter diversis famulis injungit, ut singulimodica partem temporis Deo consecrati profanent, quando omnes illæ partes in unum collectæ, notabile temporis sacri spatium conflant? Sicut enim res permanentes subrahantur profanis usibus, & d'putantur divino cultui per ritualem consecrationem, ita & tempus per festivitatis indictionem.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum, ascendentem per senesram ad stuprandam virginem, & multoties eidem inservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simi le cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat meru notabilu detrimenti, putare à domino male trahetur, ne virtus oculis aspicitur, ne domo expellatur. Castro Palao, Merula, Hurtado, & alii apud Dianam: quibus subscriptis Tamburinus lib. 5. cap. 1. §. 4, num. 19.

Hanc assertionem jure merito Mercorus nos. 115. ster 3. p. libri supra citati, art. 9. judicat omnino improbabilem. Primo quia si famulus in hujusmodi casibus non peccaret, etiam inculpabiliter posset cooperari in his quæ proximè inservient homicidio, aut furto perpetrando à suo hero: quod nullus admittit.

Secundo: Vel cooperari ad stuprum, est intrinsecè malum, vel non? Si non: Ergo etiam non timeretur de domino, famulus pollet stupro cooperari: Si vero est intrinsecè malum, neque id licite potest, etiam in mori immineat: ea enim quæ sunt intrinsecè mala, ex nullo bono fine honestari possunt.

Addit Mercorus, mirum esse quod Recensio res illi teneantur hanc sententiam, & nihilominus rejiciunt doctrinam Thomistarum, alterentium Deum ut primam causam, & motorem ac provisorem generalem, motione physica ad substantiam & entitatem actionis male concurrens, absque eo quod concurrat ad deformitatem, quæ ei ex cooperatione causa secunda accidit: si enim hoc negant deo omnipotente, & causa prima & universalissima, quare id de famulo, seu de causa secunda & particulari concedunt? Certe cum concursus causa secunda non sit præcisus, nec ita universalis, sicut concursus causa prima, si iste non possit attingere substantiam & entitatem actus mali, absque eo quod se extendat ad ejus malitiam & deformitatem, à fortiori nec ille id praefare poterit.

II.

Licet procurare aborsum ante animationem factum, ut consulatur vita vel honori pueri. Agidius Tulensis in præcepta Decal. tomo 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. & alii quatuor relati a Salmanticensibus tract. de peccatis disp. 10. dub. 6. §. 3. num. 223.

Oppositum docent omnes alii Theologi & Casuistæ, existimantes hujusmodi aborum quinto illo Decalogi præcepto, Non occides, prohiberi. Quamvis enim in rigore physico non sit homicidium, ed quod in formis fecitus non sit complete homo, moraliter tamen affirmatione censetur homicidium, & ad illud reductè pertinet, quia per illum hominis futuri nativitas impeditur. Unde sicut is, qui non quidem aliena tollit, sed tamen alium impedit, ne difecat, aut iuvorum faciat, quamvis proprie non fuerit, peccat tamen contra leprimum præceptum Decalogi; ita qui futurum hominem impedit, licet non proprie occidat, peccat tamen contra quintum Decalogi præceptum, & committit aliquam speciem homicidii, ut pañim docent.

SS. Pa-